

manu patris mei. Ut enim probet Christus neminem posse rapere oves suas de manu sua, hoc assumit, quod videlicet nemo potest rapere de manu patris sui. Unde colligitur quod nemo possit etiam de manu sua assumere. Quod si quis de collectione dubitaverit, tamquam male colligerit, addidit: *Ego, & Pater unum sumus*. Quo dicto probavit bene collegisse in argumentatione sua. Nam si ille, & Pater unum sunt, non magis poterit rapere de manu sua, quam de manu Patris. Et quod ille sit verborum ordo, ex littera ipsa patet, & Augustinus, & Theophylactus sic eam distribuunt. Cum ergo ad hunc finem verba illa Christus dixerit, constat apertissime, nullo pacto posse intelligi de unitate animorum, sicut alibi dicitur: (*Act. 2.*) *Erat eorum cor unum, & anima una*. Nam si de unitate, & consensu animorum verba illa interpretentur, collectio Christi erit nullius valoris, ut clarissime patet. Sic enim argumentatur: *Nemo potest rapere de manu Patris mei*: ergo nemo potest rapere de manu mea. Si quis neget eum bene collegisse, probat dicens: *Ego, & Pater unum sumus*. Unum inquam potestate, de qua tunc erat questio, unum inquam natura. Unam certe oportet esse manum Patris, & Filii, ut bene colligat Filius neminem posse rapere oves de manu sua, per hoc quod nemo potest rapere de manu patris sui. At si de unitate animorum, & mutua benevolentia loqueretur, qualis erat illa collectio? Quis non videt illam esse prorsus invalidam? Ad hunc enim modum posset quis in gratia existens dicere, & argumentari: *Nemo potest hunc calamum rapere de manu mea, quia nemo potest rapere de manu Patris omnipotentis, qui in cœlis est*. Quod si quis dicat collectionem esse prorsus inutilem, in eisdem collectionis probationem subsuciat id quod Christus dixit: *Ego, & Pater unum sumus*. Jam (ut opinor) satis aperte offendimus quam efficax sit hoc scripturæ testimonium adversus Arrianos. Quod si Erasmus bene circumspexisset, certe scio quod rectius intellexisset. Verum ille (ut patet) non aspexit ad præcedentia, sed solum ad sequentia, per quæ Christus respondit Judæis. Judæi namque audito illo verbo melius quam Arriani illud intellexerunt, ex illo colligentes Christum se dicere Deum, quia dixerat sese unum cum Patre, quod dictum per sequentia verba quodammodo confirmat. Accedit ad hæc, quod Paulus de eodem Filio Dei loquens (*Phil. 2.*) ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Vides hic æqualitatem Dei. Cur ergo Arrii audes dicere Deum Patrem majorem, filium vero esse minorem? Adverte etiam quod hic Paulus de Christo loquens secundum expressam divinitatem dixit, *cum in forma Dei esset*: non autem dicit, *cum in forma Dei factus esset*, sicut alias de eo juxta humanitatem dictum est: (*Joann. 1.*) *Verbum caro factum*. Non ergo sic dixit, sed ita, *cum in forma Dei esset*, quia esse est proprium Dei, juxta illud: (*Exod. 3.*) *Ego sum qui sum*. Ex eodem etiam scripturæ testimonio convincitur Sabellius. Nam qui par est, & æqualis, alterum habeat oportet cui collatus æqualis reperitur. Ex illa ergo æqualitate duæ ostenduntur personæ. Sed jam opus est ut contra dictum Origenis ostendamus Filium Dei orandum. Hoc autem non est magnum negotium, cum apertissima sint scripturæ testimonia. Propheta siquidem de Filio Dei loquens (*Psal. 96.*) ita ait: *Adorate eum omnes Angeli ejus*. Hæc autem verba Paulus interpretatur esse dicta à Patre cœlesti de Filio suo unigenito, sic dicens (*Heb. 1.*) *Et cum iterum in-*

**A** *roducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Quomodo ergo non est orandus, quem clare constat esse adorandum? Quo testimonio non minus profertur Arrius quam Origenes. Si enim Filius Dei est creatura (ut Arrius ait) quomodo illum Deus Pater adorare jubet, qui alias omnis creaturæ adorationem tam strictè prohibuit? Omitto Magorum adorationem huic etiam in cunabulis existentem exhibitam. Præterea. Stephanus cum lapidaretur à Judæis, Jesum Christum Filium Dei orabat, dicens: (*Act. 7.*) *Domine Jesu suscipe spiritum meum*. Postquam autem genibus, clamavit voce magna dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Petrus etiam, ut Bœcam paralyticum à morbo liberaret, ait: (*Act. 9.*) *Bœca, sanet te Dominus Jesus Christus*. **B** Vox certe illa deprecantis est, non imperantis, quia nemo imperat nisi illi quem credit sibi subiectum. Denique Paulus ait: (*Philip. 2.*) *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Quod ante Esaias prophetaverat, qui Dei nomine loquens, ait: (*Isa. 45.*) *Mihi curabitur omne genu*. Talis autem genuflexio cuiusdam adorationis, & humillimæ deprecationis iudicium est. Præter hæc tam aperta scripturæ testimonia extat Concilii Nicæni definitio, quod sub Constantino majore celebratum est, in quo trecenti & decem & octo patres congregati, talem ore proprio ad suam, & nostram salutem confessi sunt fidem. Fides Nicæni Concilii. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem: visibilibus & invisibilibus conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, consubstantialem Patri, id est, unius substantiæ cum Patre (quod Græci *omousion* dicunt) per quem omnia facta sunt quæ in cælo, & in terra, &c. Hæc Concilium Nicænum. Eandem fidem protulit Concilium Constantinopolitanum, sub Theodosio majore celebratum, & Concilium Ephesinum, sub Theodosio juniore, & Concilium Chalcedonense, sub Martino Imperatore, & plurima alia Concilia hoc idem confessi sunt, de qua extat liber unus beati Hylarii, de synodus celebratis adversus Arrianos, in quo libro reddit rationem eorum Conciliorum quæ adversus Arrianos celebrata sunt. Verum quoniam Arriani aliquot scripturæ loca perperam intellecta adducunt in suæ hæresis testimonium, pro illis ferme omnibus dissolvendis sufficit admonere lectorem, ut quoniam in Christo duæ sunt naturæ: quædam divina, secundum quam æqualis est Patri: altera humana, secundum quam minor est Patre: quotiescumque scriptura Christo tribuit infirmitatem, aut inæqualitatem Patri, aut alia hujusmodi, ea intelligat esse interpretanda juxta naturam humanam, secundum quam infirmus fuit, & debilis, & Patre minor. Secundum illam verbum caro factum esse dicitur, secundum quam Patrem orat, & cum clamore valido, & lacrimis preces effundit. Reliqua autem de illo juxta divinitatem sunt accipienda. Contra hanc hæresim plures scripsere. In primis Athanasius, quem cum eodem Arrio disputasse ferunt, scripsit de unitate trinitatis libros duos. Beatus Cyrillus scripsit opus insignè, quod thesaurum inscripsit, quatuordecim libris partium, in quo contra plures hæreticos agit, præcipue tamen contra Arrianos. Ex latinis scriptoribus primus (quod sciam) ex his qui extant fuit Hylarius Pictavorum Episcopus, qui etiam in libris de Tri-

nitare diffuse contra Arrium, & alios hæreticos disputat, tamen specialem librum de hac re contra Arrium ædificavit, & Filii unitate. Victorinus Afer, à quo dicitur Hieronymum didicisse Rhetoricam, quatuor libris contra Arrium disputat, quod opus ante annos quinque est impressum Basilea inter illa opera que in Antidoto hæresum coærvata sunt. Beatus Ambrosius scripsit de fide orthodoxa contra Arrianos librum unum. Beatus Augustinus sapissime cum Arrianis (ut jam ostendimus) disputavit, & libros contra eos, composuit plures: contra sermonem Arrianorum librum unum: contra Maximinum Arrianorum Episcopum libros tres: contra Felicianum librum unum. Idæius clarus Hispanus, qui (ut suspicor) eodem ferme tempore fuit quo Augustinus scripsit adversus quemdam Variandum Arrianum insigne opus, quod etiam habetur in eo volumine quod Antidoto hæresum inscribitur. Alios autem non vidi. **S** Septima hæresis est quæ negat Filium Dei esse verbum. Hujus hæresis auctores (ut Augustinus in libro de Hæresibus, cap. 30. ait) dicti sunt Alogiani, quasi sine verbo. Logos enim Græce, Latine verbum dicitur. Et quia in Evangelio Joannis expresse hoc habetur quod Filius Dei sit verbum Patris, hac occasione Evangelium illud non recipiebant, dicentes illud non esse Joannis Apostoli. Contra hanc hæresim non est opus disputare, cum sit tam apertum testimonium Joannis Apostoli, quod nullo pacto negare possunt. Superius enim ostendimus catalogum librorum canonicorum, in quo insertum est Evangelium Joannis. Quo catalogo assignato, tunc signavimus arma catholicis, & hæreticis communia, quibus & hæreticum se tueri, & catholicum pugnare oportet. Cum ergo hi hæretici provocent catholicos ad certamen, non est quod arma jam recepta veluti culpanti rejiciant. Sed ne testimonio carere videatur opus est ut aliunde etiam testimonia petamus ad hanc hæresim rejiciendam. Sapiens namque ait: (*Sap. 16.*) *Cum quietum silentium continent omnia, & nos in suo cursu medium iter haberent, omnipotens sermo tuus domine exiens de cælo, à regalibus sedibus durus debellator in medium exterminii terram pressuravit*. Hæc autem verba constat non posse intelligi de sermone prolato, qui verberato aere sonat, quoniam ille omnipotens non est, sed solus Deus omnipotens est. Et alibi expressius: (*Eccl. 11.*) *Fons sapientiæ verbum Dei in excelso*. Et Propheta in persona Patris loquens, ait: (*Psal. 44.*) *Eructavit cor meum verbum bonum*. Constat autem quod de Filio Dei loquatur, quoniam de illo sunt illa quæ sequuntur: *Speciosus forma præfiliis hominum, &c.* Et Esaias apertius hoc docet, quod ait: (*Isa. 40.*) *Excitatum est fanum, & decidit flos: verbum autem Dei nostri manet in æternum*. Verbum, aut prolative simul cum ipso sono transit, & minorem durationem quam sonum habet: quapropter fieri nequit ut ad illud verba Esaiæ referantur, sed ad Filium Dei, cujus adventus in hunc mundum in illo capite prædicatur. Illud ergo verbum quod est æternum, & omnipotens, & quod est fons sapientiæ, quodque Pater cœlestis eructavit gignendo, & quod ex ore altissimi prodiiit illud inquam est Filius Dei. Taceant ergo Alogiani, & quæ non intelliguntur tamquam sacramentum abconditum, & nolint res divinas ex capacitate sui intellectus metiri. **O** Octava hæresis est de Filii persona male sentiens. Dicit enim Filium Dei ignorare diem ultimum. Hujus hæresis auctores (ut Isidorus, lib. 8. Etymologiarum, cap. 5. ait) dicti sunt Ignoræ, eo quod ignorantiam impin-

gant Deo. Quis fuerit primus hujus hæresis inventor, aut quo tempore cœperit, Isidorus non prodidit, neque apud alium ego invenire potui. Ad hoc autem dicendum moti sunt propterea quod Christus apud Mattheum, cap. 24. dixit: *De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*. Et apud Marcum expresse nominatur filius, ubi sic dicitur, cap. 13. *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*. Sed antequam huic objectioni respondeamus, oportet ut nostram, & catholicam fidem prius confirmemus. Propheta Regius ait: (*Psal. 118.*) *Omnis consummationis vidi finem*. Cum ergo ultimus dies finis sit, & consummatio temporis, sequitur quod illum viderit. Si forte dicas illud Prophætæ dictum non esse Filio Dei tribuendum, saltem Esaiæ dictum, cap. 63. non poteris hac occasione rejicere: quoniam de Christo Filio Dei pro nobis crucifixo loquens, ita sub nomine ejusdem Christi ait: *Torcular calcavi solus, & de genibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aspersus est sanguis super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis mea venit*. Hic aperte vides Filium Dei fatentem se scire diem ultimum, quoniam ait: *Dies ultionis in corde meo*. Quæ verba constat in persona Filii Dei esse dicta, quoniam qui dixerat: *Torcular calcavi solus, &c.* eadem verborum consequentia subiunxit, dicens: *Dies ultionis in corde meo*. Præterea, Paulus de Filio Dei loquens, ait: (*Col. 2.*) *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. Si omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, ergo etiam notitia ultimæ diei. Rursum. *Omnia per Filium Dei facta sunt* (ut ait Joannes Apostolus, cap. 1.) ergo etiam tempus, & omnes dies per illum facti sunt: ergo & ultimus ab illo mente jam factus est, qui novit omnia quæ facturus est, antequam fiant. Deinde ipsemet Filius Dei ad Patrem loquens, ait: (*Joann. 17.*) *Omnia mea, tua sunt, & tua, mea sunt*. Aut ergo Filius scit diem ultimum quemadmodum Pater, aut Pater ignorabit quemadmodum Filius, quoniam alioqui falsum esset quod Filius ait Patri: *Omnia tua, mea sunt*. Et in alio loco: (*Luc. 10.*) *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Sed si ultimus diei notitiam sibi Pater servavit, oportet ut non omnia Filio suo Pater dederit. Accedit ad hoc, quod si ultimum ignorat, omnes etiam qui sunt ante illum oportet ignorare: quoniam si ignorat diem ultimum, sciet etiam illum solum sibi ignoratum: & si sciret omnes præcedentes diem ultimum, necessario sciet diem proxime sequentem esse ultimum, alias non esset certus se scire omnes dies præcedentes. Quod si certo scit omnes dies præcedentes ultimum, tunc jam sciet proxime sequentem fore ultimum, & ita sciet ultimum. Aut ergo ultimum scit, aut si ultimum ignorat, præcedentes eum ignorare erit necesse. Ostenso igitur quod Filius Dei scit ultimum diem æque bene ut Pater, superest ut declaremus quo pacto intelligendum sit cum ait se diem illum nescire. Pro qua re valde suscitatur nobis id quod in Actis Apostolorum, cap. 1. legimus, discipulos interrogasse Dominum, dicentes: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? quibus ille respondit: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*. Ibi certe Filius non negat se scire, sed solum ait non spectare ad illos illius diei scientiam. Unde colligitur illum diem esse secretum, & nulli revelandum. Quod prudens ipse Dominus fecit, ut nos cautos redderet, & hac occasione

vigilare faceret: ideo dixit, de die illa nemo scit. Quod autem hac occasione illud dixerit, ex decursu literarum colligitur, quoniam statim subiunxit: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Ne autem forte crederent labore, aut industria, aut aliqua humana ratiocinatione se posse illum diem scire, addidit, *Neque Angeli eorum*, ut hoc dicto illos à quolibet huius diei scrutatio deterret. Sed quia forte discipuli hoc vellent ab ipso Christo eorum magistro discere, & inquirere (ut eos ab hac inquisitione separaret) ulterius addidit, *Neque Filius, sed solus Pater.* Quasi hoc verbo illis diceret: Nolite solliciti esse de illius diei noticia, quoniam illam nullus habet: neque à me ipso petatis, quoniam nec ego etiam scio. Non quod ipse simpliciter nesciat, sed quia etsi sciat, non tamen ut illis revelare debeat: quemadmodum si aliquid tibi secretum commissum est, ut nulli alteri reveles, & postea aliquis à te de illa re sciscitetur, respondebis, & merito, te nescire, quoniam etsi scias, non tamen sic scis ut revelare possis. Sacra autem scriptura, cum pro hominibus erudiendis facta sit, eodem more loquendi utitur quo homines loqui solent. Quapropter (ut ait beatus Augustinus in libris de Doctrina Christiana) eisdem tropis, figuris, & metaphoris utitur, quibus in nostra communi locutione utimur. Filius ergo Dei fateatur se nescire diem illum: quia etsi sciat, non tamen sic ut revelare debeat. Quod manifeste ostendit illa sententia: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta que Pater posuit in sua potestate.* Nolumus autem illis dicere aperte, scio, sed nolo vobis revelare: ne illos hac responsione tristes redderet, aut minus erga seipsum affectos hac occasione efficeret. De hac re longe disputat beatus Hylarius, in 9. lib. de Trinitate, paulo ante finem.

Nona hæresis etiam Filio ignorantiam impingit. Origenes namque (quemadmodum illi tribuit Epiphanius in quadam epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum) dixit, Filium non posse videre Patrem, nec Spiritum Sanctum posse videre Filium. Et certe Epiphanius citat verba Origenis in libris Periarcho, ubi sic Origenem dixisse refert: Sicut enim incongruum est dicere, quod possit Filius videre Patrem, sic inconsequens est opinari, quod Spiritus Sanctus possit videre Filium. Hæc dixisse Origenem refert Epiphanius. Ut verum fatear, miror vitrum tam doctum, qualis fuit Origenes, in tam apertum errorem fuisse lapsum, cum sit tam apertus locus scripturæ, ita dicens: (*Matth. 11.*) *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* In hoc loco tam vere tribuitur Filio noticia Patris, ut ex eo magis posset quis suspicari Spiritum Sanctum non videre Patrem. Quamquam & hoc non ita se habet, quam ea que ad se dicuntur, quæ nunc recentiores theologi absoluta, & essentialia appellant, tribus personis sunt communia, sicut & ipsa essentia. Quapropter etsi in his locutionibus reperitur dictio exclusiva, per quam prima fronte excludi videatur aliqua persona: nulla tamen earum excluditur, sed solum excluduntur illæ res quibus essentia divina non sic se communicat. Ut unum è multis gratia exempli adoram, per Esaiam Prophetam Deus Pater loquitur, dicens, cap. 45. *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras.* Numquid ergo dicemus Filium, aut Spiritum Sanctum non formare lucem, quia dixit Pater, non est alter formans lucem? Absit. Nam de Filio Dei Joannes ait, cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et cum quæ creantur, Spiritus Domini ferebatur su-

per eas. Et de eodem Spiritu David ait: (*Psal. 32.*) *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ad hunc modum interpretandum est id quod dicitur: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* Notitia enim res est quæ ad se dicitur, hoc est absoluta, ac proinde essentialis, & omnibus tribus personis communis: quapropter etsi ibi dictio exclusiva ponatur, non est tamen intelligendum aliquam personam divinam excludi, quin etiam Spiritus Sanctus cognoscat Patrem sicut Filius, & Filium æque perfecte sicut Pater. Hoc autem quod de Spiritu Sancto dicimus, clarius patebit cum in sequentis hæresis expugnatione convincerimus ex sacris litteris Spiritum Sanctum esse Patris, & Filio consubstantialem, hoc est ejusdem cum illis substantiæ: quapropter erit necessarium, ut omnia quæ sunt Patris, & Filii, sint etiam Spiritus Sancti, ita ut Spiritus Sanctus vere dicere possit utrique quod Filius dixit *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Unde apertissime convincitur Spiritum Sanctum cognoscere Patrem quemadmodum Filium, & Filium quemadmodum Patrem.

Decima hæresis impetit Spiritum Sanctum, quoniam ait Spiritum Sanctum esse minorem Patre, & Filio, & non esse ejusdem substantiæ cum Patre, sed esse veram creaturam. Hujus hæresis princeps fertur & Macedonius quidam Constantinopolitanus Episcopus, tempore Constantii Imperatoris, & Liberii Papæ, à quo Macedonio Macedoniana hæresis appellata est, quamquam & eandem hæresim prius docuerat Arius, qui sicut dixit, Filium dissimilem esse Patris, & esse creaturam, ita etiam docuit de Spiritu Sancto. Sed quum Arius sequens divisi sunt, quibusdam affirmantibus Filium quemadmodum similem Patri, licet non ejusdem essentia, quam partem tenuit Eunomius quidam corpore leprosus, & artis dialecticæ callidissimus: aliis autem affirmantibus Filium per omnia similem Patri, sed Spiritum Sanctum esse illis prorsus dissimilem metanque esse creaturam, & itorum dux fuit Macedonius, ideo ab eo nomen accepit, ut Macedoniana hæresis diceretur: quia sub Arrio magis disputatum est de Filio quam de Spiritu Sancto. Hi sic sentientes vocati sunt Pneumatomachi, id est, Spiritus Sancti impugnatores. *Pneuma* græce, id est idem quod spiritus latine. Quod si in sacris litteris reperitur præposito articulo *id* (ut annotat Didymus, in lib. de Spiritu Sancto) semper significat Spiritum Sanctum. *Machoma* græce, est idem quod latine pugno. Inde dictio composita *pneumatomachos*, id est, Spiritus Sancti oppugnator. Hic non possum continere me ipsum quin referam quam bellam illius vocis etymologiam adferat Bernardus de Lutsemburgo in suo catholico hæreticorum, ubi sic ait: Et dicuntur à pneuma, id est, spiritus, & tocos, id est mater, quia Spiritum Sanctum ex matre ipsa processisse dicebat, & de Filio Dei. Et certe non est mirandum quod ignoraverit, sed illud valde miror, esse aliquem tam impudentis arrogantia, ut quod prorsus ignorat non vercat tanta cum autoritate dicere. Sed hoc non potest ullo pacto tolerari, quod videlicet, ut etymologia quam ex suo cerebro finxerat, proposito negotio conveniret, addidit Macedonium sensisse quod Spiritus Sanctus ex matre processerit, & de Filio Dei, tamquam si Filius Dei coiens cum matre genuerit Spiritum Sanctum. Disperam si vel per somnium Macedonius tale dixit, aut si frater Bernardus hoc apud aliquem scriptorem de Macedonismo reperit. Nam beatus Augustinus, in libro de Hæresibus, cap. 52. de Macedonio loquens, nihil tale illi impingit:

Phi-

Philaster, qui hos hæreticos non Macedonios, sed Semitrianos appellat, numquam hujus fabulæ meminit. Ecclesiastica Historia, in decimo libro, cap. 25. de Macedonio loquens, nullum tale signum illi tribuit. Historia Tripartita, libro quinto, cap. 41. de Hæresibus Macedonii differens, nec ullum matris nomen circa Spiritus Sancti productionem ibidem posuit, sed solum dicit Macedonium sensisse quod Spiritus Sanctus sit Patri dissimilis, & minister illius, & illa dixerit Spiritui Sancto tribuenda, quæ de Angelis dicuntur. An autem Angeli dicantur in scriptura habere matres, videat frater Bernardus de Lutsemburgo. Beda, in libro de ratione temporum de Macedonio faciens mentionem, numquam illum tale sensisse refert, quale illi impingit Bernardus de Lutsemburgo. Et ut ad recentiores descendam, Platina in vita Felicii Papæ hujus nominis secundi, idem dicit de Macedonio, & sub eisdem fere verbis quibus Ecclesiastica Historia de Macedonio differuerat. Guido cum semper Augustinum, & Isidorum sequatur, etiam hic sui similis, solum Augustini, & Isidori de Macedonio censuram refert. Ubi ergo Bernardus de Lutsemburgo invenit Macedonium dedisse Spiritui Sancto matrem, ex qua, & Filio Dei Spiritum Sanctum processisse dicit? Certe ego aliud non possum conicere, nisi quod forte apud alium similis farina legit, & nulla adhibita rei indagine (ut alias de illo diximus) in suum opus transcripserit, aut forte (quod magis credo) ipse apposuit à suo cerebro, ut etymologia per eum allata subjæctæ materiæ conveniret, & ita (ut est in proverbio) ad lapidem applicavit anulum. Sed jam opus est ut ad oppugnationem hæresis deveniamus. Pro qua re memores esse oportet eorum quæ superior contra Sabellium attulimus. Ibi enim ostendimus trinitatem unitatis Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum Sanctum unum esse Deum. Ipsa enim veritas dixit Apostolis suis: (*Matth. 28.*) *Euntes in mundum universum predicare Evangelium omni creatura, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cum in nomine dixit, & non in nominibus, aperte ostendit eorum trium unum esse nomen, unamque substantiam. Spiritus Sanctus ergo est Deus, & Patri consubstantialis. Præterea (ut supra de Filio sumus argumentati) cum unus tantum sit Deus, & non plures, non potest esse ut Spiritus Sanctus sit Deus, quin sit unus cum Patre, & Filio Deus, quam aliqui plures essent Dei, quod catholica fides abominatur. At quod Spiritus Sanctus sit Deus, Paulus Apostolus testatur, qui in priore ad Corinthios epistola, cap. 6. ait: *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Et ne quisquam ipsum Spiritum Sanctum negaret Deum, continuo secutus ait: Et non estis vestri, empri enim estis pretio magno. Glorificate ergo, & portate Deum in corpore vestro.* Cum dixit, *portate Deum in corpore vestro*, insinuat nobis Spiritum Sanctum esse Deum, cujus templum membra nostra esse prædixerat. Et in eadem epistola iterum: (*1. Cor. 3.*) *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ecce hic vides Spiritum Sanctum vocatum Dominum, & Deum. Præterea nisi Spiritus Sanctus esset Deus, quomodo esset possibile, ut peccatum in illum sit tam grave, quod (ut Christus ait Matth. 12.) *neque in hoc seculo, neque in futuro remittatur?* Fieri enim non potest, ut gravius sit peccatum in

creaturam, quam illud quod aperto Marte fit in Deum. At si Spiritus Sanctus esset creatura (ut Macedonius ait) gravius esset peccatum in creaturam, quam in Deum. Rursum, ad Ananiam, qui fraudaverat Apostolos de pretio agri venditi, ait: (*Act. 5.*) *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* Ut autem explicet Spiritum Sanctum esse Deum, subiunxit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quem ergo Spiritum Sanctum prius dixerat, eundem postea Deum nominavit. Deinde opera Spiritus Sancti arguunt eum esse Deum, quia ea illum facere cognoscimus, quæ non nisi à Deo fieri possunt. Gratiam donat, ut Apostolus ait: (*1. Cor. 12.*) *Divisiones gratiarum sunt, unus autem Spiritus qui impartitur.* Tamen David ait: (*Psal. 83.*) *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ergo Spiritus Sanctus qui gratiam donat, est Dominus, & Deus. Charitatem effundit in cordibus nostris. *Charitas Dei* (inquit Paulus, Rom. 5.) *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Spiritus Sanctus peccata remittit, quod soli Deo est proprium. Dominus enim Jesus Christus sanctis Apostolis insufflans, ait: (*Joann. 20.*) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remissa sunt.* Apostolis datur Spiritus Sanctus, ut possint peccata dimittere. Si ergo illi per Spiritum Sanctum peccata remittunt, multo melius ille, in cujus virtute hæc faciunt, remittere. Quomodo ergo non est Deus, qui peccata propria auctoritate dimittit? Spiritus Sanctus loquutus est in Prophetis, ut Pater, & Filius. De Deo enim Patre Zacharias dixit: (*Luc. 1.*) *Locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum ejus.* Et Petrus ait 2. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* Et Paulus ait: (*2. Timot. 3.*) *Omnis scriptura divinitus inspirata.* Si Spiritus Sanctus in Prophetis, & Apostolis loquitur, & omnis talis scriptura divinitus inspirata est: ergo Spiritus Sanctus Deus est. Spiritus Sanctus ubique est, ut Pater, quod manifeste ostendit Prophetæ, dicens: (*Psal. 138.*) *Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Et ascendero in caelum, tu illic es, &c.* Multa alia similia ex scriptura sacra diligens lector colligere potest. Sed jam audiamus Ecclesiæ definitionem. Concilium Constantinopolitanum 150. Episcoporum, sub Theodosio majore, & Damaso Papa, damnata hæresi Macedoniana, talem protulit fidem: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, &c.* Sequitur: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. Eandem fidem docuit Ephesinum Concilium, eandem amplectitur Concilium Chalcedonense, eandem recepit Concilium Lateranense sub Innocentio Papa hujus nominis tertio celebratum, cujus definitio habetur in libro Epistoliarum Decretalium, titulo de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Contra hanc hæresim scripsit Didymus Alexandrinus duos libros de Spiritu Sancto, quod opus beatus Hieronymus latinitate donavit. Basilii adversus Eunomium edidit librum unum. Beatus Ambrosius omnibus in hac parte copiosior est, qui tribus libris de Spiritu Sancto ad Gratianum Imperatorem edidit, stitene pro fide catholica pugnat.*

Undecima hæresis ait Spiritum Sanctum esse animam mundi. Hujus hæresis magister, & doctor fuit Petrus Abailardus. Hoc enim impingit illi beatus Bernardus in quadam epistola ad Innocentium Papam, quæ est ordinis ejus

ejus epistolatum, 190. Hæc sententia inde dignoscitur esse hæretica, si animadvertimus illud commune atque notissimum omnibus principum. Omne torum majus est sua parte. Quod non solum verum est de majoritate (ut ita loquar) vel de excessu in magnitudine molis, sed etiam de excessu secundum perfectionem, ita videlicet quod oportet omne totum esse majus, hoc est perfectius, qualibet sua parte seorsum sumpta. Quo fundamento jacto, facile in prædificabimus veram fidei doctrinam, quod scilicet Spiritus Sanctus, nec esse possit anima mundi, quia inde sequeretur Spiritum Sanctum esse minorem mundo, quia pars mundi, cum sit anima ejus. Sequitur etiam Spiritum Sanctum esse mundi limitibus inclusum, & circumscriptum, atque definitum, quod tamen fateri aperta est blasphemia; quoniam (ut proxime convincimus) Spiritus Sanctus est Deus. At Deus nullis locorum spatii clauditur. (2. Paralip. 2.) *Nonne cogitas quod Deus excelsior caelo sit, & super stellarum verticem sublevetur? (Isa. 40.) Cælum, & cæli colorum eum capere non possunt.* Et qualiter capere possent cæli illum qui mensus est pugillo aquas, & caelos palmo ponderavit? Si ergo mundum non potest capere Spiritum Sanctum, non est possibile quod Spiritus Sanctus sit anima mundi, quoniam omnis anima capitur ab eo corpore quod fovet, & vivificat.

Quoddecima hæresis est, quæ negat Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio. Hanc hæresim docuerunt, & tutati sunt Græci per multas annorum centurias, ita ut hæc fuerit una ex præcipuis causis propter quas à Romana, & Catholica Ecclesia divisi sunt. Eundem errorem tenent Armenii. Dicunt enim Spiritum Sanctum à Patre procedere, sed non à Filio; ad quod inde moventur, quia in Evangelio solum invenitur processus à Patre, nunquam tamen ibi (ut dicunt) reperitur processus à Filio. Et in Symbolo Nicæno, & Symbolo Constantinopolitano solum ibi ponitur processus à Patre, in quibus nulla fit mentio de processione Spiritus Sancti à Filio. Quapropter negant Spiritum Sanctum à Filio procedere. Sed ne in vacuum laboremus, de sola voce contendentes, queramus quid intelligitur per hoc quod est procedere ab alio. Et ego non possum aliud intelligere, quam esse ab alio productum, & derivatum ab alio, ut fluvius procedit à fonte, quia ab illo trahit originem suam, calor procedit ab igne, à quo productus est: lux procedit à sole, à quo generatur. Sic etiam Filius procedit à Patre, à quo genitus est. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, quoniam ab utroque productus est. Quod si aliud illis significat procedere ab alio, quam produci ab illo, aut derivari ab illo, tunc de voce contendimus, & ignoramus de qua re loquamur. Si vero nobiscum sentiunt de vocis significatione, aperte illis ostendemus ex sacris litteris Spiritum Sanctum procedere à Filio sicut à Patre, quoniam producit à Filio sicut à Patre. Hoc autem ita se habere, ipsa veritas nos docet, quæ apud Joannem, cap. 16. ait: *Cum autem venerit illa Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quacumque audierit, loquetur, &c.* Quæ verba exponens Dydimus in secundo libro de Spiritu Sancto, ita ait: *Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo, & patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate, quia non ex se est, sed ex Patre, & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est. Ego veritatem loquor, id est, infirmo pro quo loquitur. Siquidem Spiritus est veritatis.*

Hæc Dydimus. Quem, eo quod Græcus esset, libentius protulimus, ut forte hac occasione ejus expositio facilius à Græcis recipiatur. Quæ sequuntur apud Joannem, magis adhuc nostram fidem confirmant: *Ille (inquit de Spiritu Sancto Christus) me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quacumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid est dicere, de meo accipiet? hoc est, sicut à me per productionem habet essentiam, ita & scientiam omnem. Sicut enim Filius dixerat alias se audivisse à Patre suo, ita nunc dicit Spiritum Sanctum audire ab eo. Quomodo autem audiat, declarat subdens, quia de meo accipiet, hoc est, quia de mea substantia, & à me productus est, & producit, & producet. Quod autem dixi à me illum accepturum, non miremini: quia sicut accipit à Patre, ita accipit à me. *Omnia enim quæ Pater habet, mea sunt.* Si ergo de substantia Patris accipit, de mea oportet quod accipiat. Si ergo de substantia Patris Filius, certe non potest aliter esse quin ab illo procedat. Sed, ut hanc nostram interpretationem magis firmam, & certam ipsis Græcis reddam; produco in medium ex eorum familia testem, fide dignum, videlicet Cyrillum, qui libro undecimo super Joannem, cap. 1. prædicta Joannis verba interpretans, hæc ait: *Minime autem alicujus rei indiget spiritus naturaliter, ut accipere illi quod non habeat, opus sit: hoc enim credere impium est.* Verum quoniam consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem ejus habens virtutem, ideo ait: *Quia de meo accipiet.* Subsistere namque per se spiritum credimus, & id esse vere quod dicitur. Verum quum insit in substantia Dei, & ex ea procedat, omnia quæ Dei sunt, in seipso naturaliter habet. Non enim participatione, aut habitudine, nec ut alius à substantia Dei, sed quemadmodum florid odor qualitatem ejus naturalem olfactui offert, ita de Deo, & de Spiritu Sancto intelliges, sublimius vim exempli accipiens. Nihil igitur detrahatur spiritui, quum accipere à Filio credatur. Nam quum per Filium naturaliter procedat, ut proprius ejus cum omnibus, quæ absolute habet accipere dicit, quæ ipsius sunt. Hæc Cyrillus. Quem eo libentius produximus in testem adversus Græcos, quod Græcus, & ipse sit, & ideo illis minime suspectus esse debet, immo valde æstimandus, & magna cum reverentia multis nominibus ab illis recipiendus. Sed admotheo lectorem, ne præfata Cyrilli verba legens erret, putans hoc adverbium, naturaliter, quum dixit, Spiritum Sanctum per Filium naturaliter procedere, usurpatum ab illo esse more Scholasticorum Theologorum, qui illo semper utuntur, ad significandum id quod est oppositum libero. Nam si juxta hanc significationem caperetur, falsum esset quod Spiritus Sanctus naturaliter procedit à Filio, quia libere procedit, propterea quod per principium productionis liberum, hoc est, per voluntatem producit à Filio. Cyrillus autem illud adverbium, naturaliter, usurpavit pro necessario, ita ut velit dicere Spiritum Sanctum necessario procedere à Filio. Hoc autem verum esse, tota theologorum schola faterur, nec inde sequitur Spiritum Sanctum non libere produci: quia libertas non opponitur necessitati, sed coactioni. Præterea Spiritus Sanctus etiam est Spiritus Filii, sicut Spiritus Patris, quod non diceretur nisi à Filio procederet, sicut à Patre. Paulus siquidem in ea quæ est ad Romanos epistola, cap. 8. ait: *Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et alibi: *(Gal. 4.) Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra.* Ecce

hic vides nominatum Spiritum Sanctum esse spiritum Filii, qui alias dicitur spiritus Patris. Ex quo convincitur ut à Filio etiam sicut à Patre procedat. Rursum, Spiritus Sanctus mittitur à Filio, sicut à Patre: signum est ergo quod etiam à Filio, sicut à Patre procedat. Filius siquidem ait: *(Joann. 16.) Si ego non abiero, Paracletus non venit ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Qui ergo à Filio mittitur sicut à Patre, fieri necesse est ut à Filio sicut à Patre procedat.* Accedit ad hæc, quod Athanasius in symbolo ait: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Et hic etiam Græcus est. Sed jam post hæc omnia audiamus Ecclesiæ definitionem. Concilium Lateranense sub Innocentio Papa, hujus nominis tertio, celebratum fidem suam per hæc verba protulit: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incomprehensibilis, omnipotens, & incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus Sanctus patreter ab utroque, abque initio semper, ac sine fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens: consubstantialis, & coomnipotens, & cœterni. Hæc Concilium Lateranense, Ex cuius fidei definitione omnes præfata hæreses quas de Deo, & de personis ejus exortas esse narravimus, prostrantur. Hæc autem Concilii fides habetur in volumine Epistolatum Decretalium, titulo de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Et Concilium Lugdunense, sub Gregorio nono celebratum, expressius hanc fidem docuit, ita dicens: *Fidelis, ac devota professione fateretur quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Et paucis interpositis, subjungit: Sed quia nonnulli propter inrefragabiles præmissæ veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi, nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, hoc factu approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes qui negare præsumpserint æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere, sive etiam temerario ausu assertere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio tamquam ex duobus principis, & non tamquam ex uno procedat. Hæc ex Concilio Lugdunensi: quod decretum habetur in sexto libro Epistolatum Decretalium, titulo de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Verum ne Græci horum Conciliorum definitiones rejiciant hac occasione quod à Latinis celebrata fuerint, opus est ut alicujus Concilii apud eos celebrati definitionem illis objiciamus. Concilium Ephesinum, quod sub Theodosio juniore celebratum est, & tertianodus appellatur, in epistola à toto Concilio ad Nestorium missa, circa finem epistolæ sic ait: *Quamvis enim in sua sit substantia spiritus ejus, & intelligatur in persona proprietatis juxta id quod spiritus est, & non Filius, atiamen alienus ab illo non est. Nam spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, unde & ab ipso similiter sicut ex Deo Patre procedit. Hæc ibi. Nec possunt calumniari dicentes hanc esse epistolam Cyrilli, & non Concilii definitionem, quoniam ut patet, principium epistolæ sic habet: *Religioso, & Deo amabili consecratos Nestorio Cyrillus, & quicumque sunt apud Ephesum Synodum. In qua inscriptione præpositus est Cyrillus, quoniam ex commissione Cælestii Papæ in illo præsidebat Concilio.****

Quod autem Græci dicunt Evangelium non ostendere processionem Spiritus Sancti à Filio, jam ostendimus esse falsum: quia est ibi non explicetur sub nomine processionis, sub verbis tamen æquipollentibus satis declaratur, Concilium etiam Nicænum, & Constantinopolitanum, & si dicant Spiritum Sanctum procedere à Patre, & taceant de Filio, non tamen dicunt solum procedere à Patre. Quid quod dicentes illum procedere à Patre, hoc solo dicto testati sunt illum processisse à Filio: quia (ut ait Boetius in libro de Trinitate) exceptis relationibus oppositis, omnia quæ de una persona dicuntur, dicuntur etiam de aliis. Cum ergo spiratio activa non opponatur filiationi, sed solum spirationi passiva, quæ convenit Spiritui Sancto, sequitur inde, ut cum dicitur Spiritum Sanctum procedere à Patre, intelligatur inde quod etiam procedat à Filio. Tertia decima hæresis omnes personas divinas impetit, & convitiis afficit, quia ait potentiam esse propriam Patris, non appropriatam: sapientiam Filii, benignitatem Spiritus Sancti. Hunc errorem tribuit etiam Petro Abailardo Sanctus Bernardus, in illa epistola, 190, quam sæpe jam citavimus. Hæc hæresis facile convincitur, si primo supponamus rem illam non esse vere alicujus propriam, quæ pluribus convenire dignoscitur. At cum confiter ex sacris litteris, potentiam, sapientiam, & benignitatem, sicut omnia alia quæ ad se dicuntur, omnibus tribus personis convenire, sequitur inde, ut nulli personæ aliqua illarum sit propria. Patrem ille fateretur potentem, sed audiat de Filio dictum esse: *(Joann. 1.) Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et quum Angelorum ministerio in gloriam ascendit, percontantibus aliquibus quis ille esset, alii respondent: *(Psal. 138.) Dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio.* Et inter nomina quæ Filio Dei tribuit Blasius, cap. 9. sunt ista, videlicet: *Deus fortis, pater futuræ sæculi:* quæ non ob aliam causam quam propter ejus potentiam illi tribuuntur. Sed audi jam Filii, & Spiritus Sancti potentiam simul: *Verbo Domini (inquit Psaltes, Psal. 32.) cæli firmati sunt, & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum.* Filii sapientiam concedit Petrus Abailardus: audiat ergo Paulum Deo Patri tribuentem sapientiam. Is enim in calce epistolæ ad Romanos, ita ait: *Cogniti soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor, & gloria in sæcula sæculorum.* De Spiritu Sancto ait ipsamet Sapientia, discipulis suis loquens: *(Joann. 16.) Cum autem venerit illi Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* At quomodo sapiens non est, qui potens est docere omnem veritatem? Et ut reliqua omittam, intrat alia Spiritus Sancti dona Blasius, cap. 11. enumerat *sapientiam, scientiam, & intellectum.* Non potest ergo fieri, ut qui sapientiam, & scientiam donat aliis, sapiens ipse non sit. Sola jam benignitas superest ut ostendatur communis tribus. Hanc cum Petrus Abailardus tribuat Spiritui Sancto, non est opus nisi ut ostendamus illam convenire Patri, & Filio. De Patre ipsamet veritas testatur quod benignus sit. Nam cum apud Lucam præcepisset ut beneficiamus iis qui oderunt nos, statim subdidit: *(Luc. 6.) Et eritis sicut illi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.* De filio autem Salomon testatur, qui de sapientia divina, quæ Filius Dei est, loquens, ita ait: *(Sap. 7.) Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, &c.* sequitur: *Suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, &c.* Si in sapientia est Spiritus benignus, quomodo ipsa benigna non erit? Sed expressius hoc nos do-